

CAPITULUM LVII.

De subita morte cuiusdam conversi conspiratoris.

Non est diu quod in quadam domo ordinis nostri aedificium quoddam ad usus monachorum factum est. Quod quidam conversorum videns et invidens, diabolo cor eius inflammante, aliquos ad deiectionem eiusdem operis incitavit. Qui cum venissent cum instrumentis suis ante refectorium monachorum, auctor tantae conspiracy corruit et expiravit. Quo viso ceteri valde timentes, cum multa festinatione et humilitate venerunt ad pedes Abbatis, peccatum suum confitentes, a quo poenitentiam susceperunt. Corpus vero conspiratoris in campo sepultum est. Postea ad petitionem conversorum, sicut nobis retulit Abbas noster qui audivit, Abbas praedictus petivit veniam in Capitulo generali, ut liceret ei corpus proiectum ponere in cimiterio; sed non recordor utrum fuerit ei concessum vel negatum. Referam tibi nunc aliquae exempla de vitio luxuriae, quae luxuriosos satis queant terret.

CAPITULUM LVIII.

De morte canonici qui velatam sanctimoniam stupraverat.

Apud Traiectum inferius ante annos paucos, sicut mihi retulit eius concanonice, clericus quidam defunctus est, qui sanctimoniam velatam corruerat. Ut autem Christus ostenderet, quam gravis sit culpa, ipsius sponsam violare, tale signum in defuncti genitalibus posuit, quod cunctis qui viderent vel audire poterant esset terror. Nolo autem illud exprimere, parcens verecundiae feminarum, quae forte lecturae sunt quae conferimus.

CAPITULUM LIX.

De morte puellae in cuius sepulchro canes se invicem mordebant¹⁾.

In villa quadam Dioecesis Coloniensis quae Luzheim²⁾ dicitur, puella quaedam cuiusdam honestae matronae ancilla ante aliquos annos defuncta est. Satis enim erat luxuriosa,

1) ADEP memordebant. — 2) P Lucheim.

satis vaga, et valde saecularis. Nocte quadam in somnis ante Christi tribunal rapta est, in cuius circuitu vidit angelos et Apostolos, martyres et reliquorum ordinum sanctos infinitos. Animabus in medium deductis, illae ad gloriam, istae ad supplicia iudicabantur. Cumque haec ancilla videret et tremere, accusante conscientia, manus suppliciter ad iudicem tetendit. Cuius ¹⁾ ille misertus, ait: Quid me oras? Da mihi minimum digitum tuum, et ego dabo tibi manus meas. Ac si diceret: Da mihi modicam fidem quod te de tuis vitiis emendes, et ego tibi dabo gratiam meam. Sicque evigilavit. Quae cum visum retulisset cuidam religiosae matronae nomine Aleidi, quae adhuc superest, de villa Gurzenich, respondit illa: Misera emenda vitam tuam, satis commonita es. Illa primum quidem timuit, sed timor idem citius cessavit. Cumque ut prius vitiis pristinis subiaceret, admonitioni flagella adduntur. Nam cum post acerrimas infirmitates exspirasset, et nudata super aream, tecta tantum lintheamine posita fuisset, duo canes ante domum in curia se momorderunt ²⁾. Supervenit tertius et quartus; deinde omnes canes villae, qui se invicem mordendo ³⁾ domum intrantes, lintheamen superpositum abstrahentes, dentibus suis comminuerunt. Qui vix a rusticis fustibus expulsi sunt. Cadavere vero sepulto, canes fugati redeuntes super eius tumulum interrupta bella renovaverunt. Timeo enim quod anima modicum habuerit pacis, sicut multi interpretati sunt. Et quia huiusmodi mulieres saepe magicis insistunt artibus, ut vehementius possint amari, contra idem vitium satis horrendum tibi proferam exemplum.

CAPITULUM LX.

De muliere maga quam daemones transferebant.

In Haslo villa Dioecesis Traiectensis, femina quaedam misera die quadam pedes suos pelvi imponens, et extra illam retrorsum saltans, sic ait: Hic salto de potestate Dei in potestatem diaboli. Quam diabolus mox rapiens, et in aera sustollens, multis qui erant in villa sive extra villam videntibus, ultra altitudines nemorum transtulit, ita ut usque in hodiernum diem nusquam compareret. Haec mihi de male viven-

1) B extendit. Cui. — 2) E momorderant. — 3) E momordendo.

tibus et male morientibus comperta sunt. De his vero qui bene videbantur vixisse, nec tamen bene consummati sui, unum tibi referam exemplum quod nuper audiui.

CAPITULUM LXI.

De hospitalario qui se ipsum in aquis suffocavit.

Hoc anno cum Abbas noster iret ad Capitulum generale iuxta Fitriacum ¹⁾ a quodam hospitalario tam ipse quam Abbas de Scimenu caritative satis suscepti sunt. Comedentibus eis, idem hospitalarius, erat enim hospitalis magister, sedebat ad latus Henrici cellerarii nostri. Qui post prandium dicebat iam dicto Abbati: Est vobis notus homo iste? Etiam, inquit, homo bonus est et religiosus. Respondit Henricus: Credite mihi, in malo statu est; iam in mensa visum habuit infernalem. Mane vero cellerario dicente missam, Abbas noster nescio quo instinctu, sicut ipse nobis referebat, nihil aliud per totam missam orabat nisi hoc: Domine da mihi bonum finem. Eadem nocte praefatus hospitalarius ad vicinum flumen solus vadens, vestes exuit, et de ripa in aquas saltavit. Et cum hi mergi non posset, altius ascendit, locum quaerens profundiorum ²⁾. Vigiles de castro videntes haec ³⁾, clamabant: Best homo non est tempestivum tali hora balneari ⁴⁾. Erat enim nox Nativitatis Dominae nostrae ⁵⁾. Quid plura? Miserrima de littore se praecipitans, in limo profundi infixus est atque submersus. Et territi sunt valde audientes haec, scientes hominem plus quam triginta annis pauperibus servivisse. Simile contigit cuidam converso in ordine nostro, qui pro sanctissimo viro ab omnibus habebatur. NOVICIUS: Satisfactum fateor interrogationi meae; sed adhuc unum est, quod nosse vellem. Quidam putant mortem esse personam; quibus ⁶⁾ concordat quod mors in specie hominis cum falce in picturis repraesentatur. MONACHUS: Huic fabulae consentiunt Judaei, qui dicunt unum esse angelum a quo interficitur omne genus humanum. Trahunt autem auctoritatem ab eo loco ubi per angelum percussa sunt omnia primogenita Aegypti. Quis autem sit mors, satis dictum est in capitulo primo huius

1) CDF Vitriacum, B Funiacum. — 2) EP profundiorum quaerens. — 3) BP hoc. — 4) B balneari. — 5) CF Dominicae. — 6) CF cui.

distinctionis. Referam tibi tamen aliqua occasione tuae interrogationis unde satis mireris.

CAPITULUM LXII.

De matrona agonizante quam mors deserens clericum iuxta stantem¹⁾ invasit.

Sicut veraciter audivi, matrona quaedam nobilis in Episcopatu Coloniensi ante annos paucos infirmata est. Quae cum in extremis agere videretur, multaeque matronae tam²⁾ ex ordine nobilium atque ministerialium circumstarent, inuncta est. In ultima vero collecta vocans ad se cognatam suam, cum tamen vix loqui posset, ait: Ne timeas, non moriar modo³⁾. Vidi enim mortem recedere a me, et invadere clericum istum, digito eum demonstrans. Mirum in modum in ipsa hora femina desperata coepit meliorari, et clericus infirmari, adeo ut die octavo⁴⁾ moreretur. NOVICIUS: In qua forma vidit mortem? MONACHUS: Nescio. Si formam requiris, audi quod sequitur.

CAPITULUM LXIII.

De monstro quod in specie feminae interfecit familiam duarum curiarum, cum in eas respiceret.

In Episcopatu Coloniensi villa cui vocabulum est Stamheim, duo milites habitabant⁵⁾, ex quibus unus Guntherus, alter Hugo vocabatur. Nocte quadam, cum iam dictus Guntherus esset in partibus transmarinis, ancilla pueros eius, antequam irent cubitum, ad requisita naturae in curiam ducebat. Quae cum staret iuxta illos, ecce species quaedam mulieris⁶⁾ in veste nivea et facie pallida contra ipsos ultra sepem respexit. Quae cum nihil loqueretur, et ancilla in aspectu eius horreret, monstrum idem possessionem Hugonis quae proxima erat adiens, ultra sepem illius praedicto modo respexit, deinde ad cimiterium de quo venerat rediens⁷⁾. Post paucos vero dies infans Guntheri maior infirmatus, ait: Septimo die moriar; post alios septem dies morietur Dirina soror mea;

1) P astantem, D se stantem. — 2) coniiiciebam eam. Sed similiter in Visionibus Angelae de Fulgino cap. 19. p. 42: „Affligor enim tam in corpore et anima ab eisdem.“ — 3) B non modo moriar. — 4) B octava. — 5) B manebant. — 6) B muliebris. — 7) ECF rediit.

deinde post hebdomadam morietur soror mea minor. Quod ita factum est. Post mortem vero infantum, mater et ancilla de qua supra dictum est, defunctae sunt. Eodem tempore obiit Hugo miles et filius eius. Horum testis fidelis est Gerlacus Subprior noster.

CAPITULUM LXIV.

Item de monstro quod Bonnae de uno sepulchro exiit et aliud intravit.

Simile contigit in ecclesia Bonnensi. Tempore quodam dictis vesperis, cum scholares in ipso crepusculo ludos exercerent in claustro, viderunt de uno sepulchrorum in quibus canonici solent sepeliri, speciem quandam humanae formae egredi, quae super aliqua sepulchra deambulans, in quoddam sepulchrum se demisit ¹⁾. Post breve tempus mortuus est quidam canonicus, et in eodem tumulo, de quo fantasma illud egressum est, positus. Deinde post paucos dies alter canonicus in eadem ecclesia moritur, et in loco ubi ingressum fuerat sepelitur. Christianus Bonnensis, monachus noster, eidem visioni interfuit. Huiusmodi visionibus quandoque futurum praesignantur. NOVICIUS: Secundum haec quae dicta sunt, beati quos Dominus invenerit vigilantes ²⁾. MONACHUS: Occasione huius verbi referam ³⁾ quod nuper audivi.

CAPITULUM LXV.

De monacho qui in Alna cadens exspiravit, dum legeret Evangelium: Vigilate quia nescitis, et cetera.

Cum in Alna domo ordinis nostri Diaconus legisset Evangelium de Confessoribus, scilicet: *Vigilate quia nescitis quae hora Dominus vester venturus sit* ⁴⁾, verbis eisdem completis, quidam monachus in choro cecidit et exspiravit. Et timuerunt omnes, verborum Domini effectum considerantes. Unde fratres, quia nescimus qua hora Dominus noster venturus sit, vigilemus fide, vigilemus et opere, ut cum venerit, et per mortem pulsaverit, confestim et laeti aperiamus ei. Quod nobis praestare dignetur Dominus noster Jesus Christus, qui venturus est iudicare vivos et mortuos et saeculum per ignem. Amen.

1) BEF dimisit. — 2) Luc. 12, 37. — 3) CEF add tibi. — 4) Math. 24, 42.